suis prope perfuncta esse: cum respublica occideret: uita excessisse. Quid est quod tu aut illa cum fortuna hoc nomine queri possis. Denique noli te obliuisci Ciceronem esse. & eum qui aliis consueueris precipere: & dare consilium: neque imitari malos medicos: qui in alienis profitentur tenere se medicinam scientiam: ipsi se curare non possunt: sed potius que aliis tute precipere soles: ea tu te tibi subiice: atque apud animum propone. Nullus dolor est: quem non longinquitas temporis minuat: atque molliat. hoc te expectare tempus: tibi turpe est: ac non ei rei sapientia tua te occurrere. Quod si qui et in inferis sensus est: qui illius in te amor fuit: pietasque in omnes suos: hoc certe illa te facere non uult. Da hoc illi mortue: da ceteris amicis: ac familiaribus: qui tuo dolore merent. Da patrie ut si qua in re opus sit opera: & consilio tuo uti possit: Denique quoniam in eam fortunam deuenimus: ut etiam huic rei nobis seruiendum sit: Noli committere: ut quisquam te putet non tam filiam: quam rei publice tempora: & aliorum uictoriam lugere.

Plura me ad te de hac re scribere pudet: ne uidear prudentie tue diffidere: Quare si hoc unum proposuero finem faciam scribendi: Vidimus aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam: magnamque ex ea te laudem adipisci: Fac aliquando intelligamus: aduersam quoque te eque ferre posse. neque id maius quam esse debeat tibi onus uideri: ut ex omnibus uirtutibus hec una tibi

e-codices

License: CC-BY-NC – Cologny, Fondation Martin Bodmer, Cod. Bodmer 172, f. f.%203v – Anthologia latina (http://www.e-codices.ch/en/fmb/cb-0172/f.%203v)